

modum proxime ordinatur : dicitur autem etiam commune, vel quia respublica habet jus quoddam altius in bona propria singularum personarum, ut eis uti possit, quando illi fuerint necessaria, vel etiam quia eo ipso quod unaquæque persona est pars communitatis, bonum uniuscujusque quod in damnum aliorum non redundat, est commodum totius communitatis. Sic dicunt jura expedire reipublicæ ut cives sint locupletes, et ut nemo male sua re utatur, § *Sed major*, Inst. de His qui sunt sui vel alieni juris, Authent. *Ut iudices*, etc., § *Considerandum*, collat. 2, cum similibus.

8. *Duplex materia boni communis circa quam versari potest lex.* — Alia distinctio est, quæ de actibus humanis generatim dari solet, in quibus distinguitur materia proxima, circa quam versantur, et motivum, seu ratio propter quam : cum enim lex actus moralis sit, illa etiam duo in ea sunt distinguenda. Materia ergo circa quam versatur lex interdum est bonum commune per se primo : aliquando vero per se primo est bonum privatum : commune autem per redundantiam. Igitur hoc etiam modo data fuit distinctio legum in illis juribus, ut etiam latius explicui, tract. 5, de relig., seu de jura., l. 2. Nam quædam leges proxime versantur circa materiam communem, aliæ circa bona singulorum : semper tamen ratio propter quam lex versatur circa utramque materiam est commune bonum, quod propterea semper debet esse primario intentum.

9. *Objectio.* — *Materia legis ex se debet esse utilis et commoda communi bono, non ex intentione legislatoris.* — Quæri autem potest circa hanc partem, an oporteat hoc bonum esse intentum intentione operantis, vel intentione ipsius operis, juxta modum loquendi D. Thomæ 2. 2, q. 141, art. 6, ad 1. Nam intentio operantis videtur esse extrinseca, et per accidens variari posse, et non pendere ab illa rationem legis : opus autem ipsum ex se non semper fertur ad bonum commune, nisi ab alio referatur, et ideo neque intentio operis videtur necessaria, nec sufficiens. Respondeo breviter, ad valorem et substantiam legis solum esse necessarium ut res illa, de qua fertur lex, hoc tempore, hoc loco, in hac gente et communitate sit utilis, et conveniens ad bonum commune illius : hæc enim utilitas et commoditas non datur a legislatore, sed supponitur, et ideo quantum ad suum esse, ut sic dicam, non pendet ex intentione legislatoris. Ex quo etiam fit ut talis res ex se debeat esse referibilis in commune bonum : nam omne bonum utile,

quatenus tale est, aptum est ordinari in eum finem ad quem est utile, et in hoc sensu necessaria est in præsentis intentio operis, non operantis : ratio clara est, quia etiam si legislator ex odio, verbi gratia, aut ex alio pravo fine legem ferat, si lex ipsa nihilominus in bonum commune cedit, id sufficit ad valorem legis. Quia illa prava intentio est mere personalis, et non redundat in actum, quatenus ad utilitatem communi spectat : sic prava intentio iudicis non refert ad valorem sententiæ, si non est contra æquitatem ejus : sic etiam prava intentio ministri nihil officit sacramento, si non sit contra substantiam ejus : ita ergo in præsentis bonum commune in lege ipsa spectandum est, non in extrinseca intentione legislatoris. Quam sententiam optime tradit Augustinus, lib. 1, de Liber. arbitr., cap. 5, dicens : *Lex quæ tuendi populi causa lata est, nullius libidinis argui potest, si quidem ille qui tulit, si Dei jussu tulit, id est, quod præcepit æterna justitia, expers omnis libidinis id agere potuit. Si autem ille cum aliqua libidine hoc statuit, non ex eo fit ut ei legi cum libidine obtemperare necesse sit, et quia bona lex, et a non bono ferri potest.* Et infra, optimam rationem indicat, quia licet ille cum libidine legem tulerit, potest illi sine libidine obtemperari.

10. *Fit satis objectioni.* — Per hæc ergo facilis est responsio ad priorem partem objectionum : solum enim concludit legem non semper habere pro materia proxima illud bonum commune, quod per se primo est in communitate secundum se, et ita intelligitur distinctio data in prioribus juribus ibi citatis. Data est enim ex parte materiæ ; et illæ leges dicuntur versari circa particularia commoda, quæ habent pro materia bona propria ipsorum civium, quæ alia ratione diximus continere bonum commune. In quibus etiam est considerandum, nunquam cadere sub lege, quatenus ad unam vel alteram personam tantum pertinent, sed quatenus spectant ad personas certæ conditionis, ut ad pupillos, ad milites, etc., vel certæ originis, ut nobiles, vel ad successores talis familiæ : et ex hac etiam parte respicere bonum commune communitate, ut sic dicam, universalitatis, quia scilicet bonum illud in multis reperitur, ut capite præcedenti in fine declaratum est. At vero, in d. l. 1, ff. de Constit. princip., cum dicitur constitutionem Principis aliquando non egredi personam, non videtur sumi constitutio pro lege propria, sed pro quolibet edicto, vel decreto principis, in favorem vel odium

alicujus certæ personæ constitutum : quod nisi habeat majorem amplitudinem et majorem durationem, non est proprie lex, ut capite superiori dictum est.

11. Et hinc patet quid dicendum sit de privilegio, de quo etiam loqui videtur dicta lex 4 ff. de Const. princ. Respondet igitur Glossa, in d. c. *Erit autem lex*, per hanc conditionem distingui legem a privilegio. Quam responsionem acriter impugnat Castro, supra, quia ex illa (inquit) sequitur legem latam a principe de perpetuo tributo sibi solvendo in suum commodum, dicendam esse privilegium. Sed hoc non multum urget contra Glossam : quia vel tale tributum esset justum vel injustum : si justum, etiam lex esset justa, et licet esset in commodum principis, nihilominus esset propter commune bonum ; tum quia bonum principis, quatenus talis est, censetur commune, cum ipse sit persona publica et communis ; tum etiam quia justum subsidium datum principi a republica commune bonum est totius reipublicæ. Si autem tributum esset injustum et tyrannicum, tunc non esset lex, sed haberet se ad modum privilegii iniqui et injusti. Nec videtur illa responsio Glossæ aliena a sententia Ciceronis, lib. 3 de Legib., dicentis : *Majores nostri in privatas personas leges ferri noluerunt, id est enim privilegium.*

12. *Privilegium esse veram legem.* — Nihilominus tamen existimo istam conditionem non esse positam ab Isidoro ad excludendum privilegium a ratione legis : tum quia eadem Glossa, in cap. *Privilegia*, d. 3, dicit privilegium esse legem, et in illo requirit alias conditiones positas ab Isidoro in alio cap. *Erit autem lex* : tum etiam quia illa particula directe ponitur ad excludendas leges tyrannicas, vel quæ non cedunt in commune bonum, etiamsi fortasse nec ad privatum respiciant, et ita necesse est per illam conditionem excludi pravas leges, etsi privilegia non sint : tum denique quia forte necesse non fuit privilegium excludere, de quo dicam infra suo loco. Nunc solum assero, ex parte boni communis non repugnare quin sit lex, quia licet proxima ejus materia sit speciale bonum alicujus familiæ, vel domus, vel aliarum personarum (propter quod fortasse privata lex appellatum est ab Isidoro, in d. c. *Privilegium*) nihilominus formaliter etiam debet respicere bonum commune, argumento cap. *Requiritur*, et § *Nisi rigor*, et cap. *Dispensationes*, 1, quæst. 7, et quæ tradit D. Thomas, 1. 2, q. 97, art. 4, ad 1. Nam illud bonum per privilegium concessum,

ita debet esse aliquorum proprium ut in bonum commune redundet, modo superius declarato. Ac præterea ipsa concessio privilegii tam rationabilis esse debet, ut ad bonum commune spectet, ex similibus causis similia privilegia concedi. Ex hoc ergo capite non excluduntur privilegia a propria ratione legis ; an vero excludantur ex eo quod respiciunt privatam personam, vel possint esse proprie leges, maxime si perpetua sint, dicemus in l. 10.

13. Minor difficultas est in legibus tributorum : nam illæ communitati imponuntur, ut per se constat, et immediate respiciunt bonum commune, quia, ut dixi, licet videantur cedere in commodum principis, tamen ut veræ leges sint, commune bonum respicere debent, quia non dantur regi nisi quatenus persona communis et publica est, et ut in commune bonum illis utatur. Unde in Concilio Toletano, 8, cap. 10, de regibus dicitur : *Non prospectantes proprii jura commodi, sed consulentes patriæ, atque genti.*

14. Ad alteram partem objectionum generatim dicitur hanc esse conditionem rerum humanarum, ut non servant uniformitatem in omnibus, et ideo plerumque accidit ut quod communitati expedit, uni vel alteri nocumentum afferat. Quia vero commune bonum præfertur privato quando simul esse non possunt, ideo leges simpliciter feruntur pro bono communi, et ad particularia non attendunt, ut habetur in multis legibus, ff. de Legib., et de justit. et jur., et sumitur ex cap. *Licet*, de Regular., et ex cap. *Scias*, 7, q. 1. Contingit autem aliquando sub eodem rege esse plura regna, vel plures communitates quasi per accidens, quia re vera inter se non componunt unum corpus politicum, sed ex accidenti diversis titulis in illius potestatem devenerunt, et tunc injustum esset eisdem legibus diversa regna obligare, si uni essent utiles, et non alteri. Quia non comparantur tunc ut bonum commune et particulare, sed ut duobus communia, quibus per se ac sigillatim propriis legibus prospiciendum est, ac si sub diversis regibus permanerent, sicut facit etiam Pontifex cum præcipit diversis religionibus, quatenus distinctæ communitates sunt et unaquæque propriis legibus indiget. Quando vero communitates sunt partes ejusdem regni seu politici corporis, tunc uniuscujusque partis bonum censetur privatum respectu totius communitatis, ad quam leges per se primo feruntur : observanda vero duo sunt : unum, ne tot

sint particularia nocumenta ut præponderent aliorum commodis: aliud, ut, si opus fuerit, adjungatur dispensatio vel exceptio: nam in hujusmodi eventibus maxime licet, et aliquando etiam deberi potest.

15. Ex quo facile constat quid dicendum sit de nocumento privatæ personæ; illud enim minus consideratur, et ideo aliquando permittitur, ut in præscriptione quæ respicit bonum commune, scilicet, pacem, evitando lites, etc. Aliquando etiam intenditur, ut in legibus punitivis, quæ etiam sunt ad commune bonum necessariæ. Et ita explicatæ manent aliæ duæ conditiones legis positæ ab Isidoro, in eod. cap., scilicet, ut sit necessaria et utilis: quas ita exponit D. Thomas, q. 95, art. 3, ut necessitas referatur ad remotionem mali, ut quando lex fertur propter vitandum aliquod malum reipublicæ, utilitas ad promotionem boni: quod recte dictum est, ne altera ex illis particulis redundare videatur. In utraque autem majus bonum commune attendi debet: ita enim removendum est unum malum, ne inde aliud majus reipublicæ sequatur: alias talis lex non esset necessaria, sed perniciosa. Et ita est etiam procuranda aliqua utilitas, ne inde major impediatur, aut majora mala communia consequantur. Omnia ergo illa verba eandem proprietatem in lege explicant, licet sub diversis respectibus ad majorem declarationem, quod satis est, ut non sint superflua.

16. *An lex generalis lata ea intentione ut noceat particulari, sit injusta et invalida.*— Quæri vero hic solet an lex lata sub forma generali, ea intentione, aut dolo, ut cedat in præjudicium singularis personæ, injusta sit, vel invalida. Nam juristæ dicere solent, adeo esse iniquam talem legem, ut ab illa liceat appellare, vel exceptionem doli contra illam ponere, ut videre licet in Bartholomeo, in l. *Omnes populi*, ff. de Just. et jur., q. 5, n. 53, Panormitano, in rubric. de Constit., n. 2, Felino, in cap. *Cum omnes*, de Const., n. 5, Jason et Gregorio Lopez, ubi supra. Non sentiunt tamen hi auctores talem legem semper esse invalidam aut injustam: nam sine dubio potest interdum fieri ex rationabili causa, permittendo potius damnum privatum propter commune bonum, quam illud intendendo, vel etiam illud intendendo in pœnam justam, vel si contingat intendi inique, a ferente legem ex odio privato, non nocebit ipsi legi, nec justitiæ ejus, ut supra dictum est, si alias ipsa sit necessaria ad commune bonum. Et ita docuit late Felinus supra, concl. 1, et in 3 addit idem

esse si lex fiat in favorem privatæ personæ, vel familiæ, quando illa redundat in commune bonum, quod est satis clarum ex dictis. Loquuntur ergo dicti auctores, quando damnum tertii sine justa causa sub specie communis legis procuratur: tunc enim clara est injustitia: et consequenter est etiam licita et debita conveniens defensio, de qua ipsi tractant, quia ad ipsos proprie pertinet.

CAPUT VIII.

UTRUM SIT DE RATIONE LEGIS UT PUBLICA POTESTATE FERATUR.

1. Explicemus finalem causam legis; sequitur ut de efficiente dicamus: nam ex illa sumitur alia conditio legis, sine cujus cognitione legis natura integre tradi aut definiri non potest. Propter quod etiam D. Thomas, d. q. 90, a. 3. proponit similem quæstionem, interrogando an ratio cujuslibet sit factiva legis? Videtur enim uniuscujusque ratio habere vim legis saltem quoad dictamina legis naturalis: ergo saltem in lege naturali non est necessaria hæc conditio, ut scilicet a publica potestate feratur. Antecedens patet, tum ex illo Pauli ad Rom. 2: *Cum gentes quæ legem non habent naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex*: tum etiam quia, seclusa omni superiori potestate, lex honorandi parentes, vel non mentiendi, et similes, semper obligant: non est ergo illa conditio de ratione legis, ut talis est: nam quod non est de ratione unius speciei, non est de ratione generis. Et confirmatur, quia omnes etiam aliæ leges humanæ nihil aliud sunt quam *prudendum virorum consulta*, ut dicitur in l. 1, ff. de Legib.; consulta autem prudentum non requirunt specialem potestatem publicam, sed prudentiam, et rectam rationem. Unde Cicero, lib. 1 de Legib.: *Lex (inquit) est naturæ vis, mens et ratio prudentis*, et Isidorus, 25. Etymol., c. 10: *Si ratione (inquit) lex consistat, lex erit omne jam quod ratione consistenterit*. Lex ergo ex ratione pendet, non ex alia potestate.

2. *De ratione legis esse ut a publica potestate feratur.*— Dicendum nihilominus est legem esse præceptum ab eo impositum qui vim habeat cogendi, ac subinde de ratione legis esse ut ab habente publicam potestatem feratur. Hoc intendit D. Thomas, in d. art. 3. et est quasi principium primum in materia morali. Non potest autem uniformiter in omnibus le-

gibus declarari, ideoque per partitionem divinarum humanarumque legum distinctius ostendetur. De legibus enim divinis per se notum est, sicut de ratione earum est ut a Deo, tanquam a proximo legislatore procedant, ita necessario procedere ab habente non solum publicam potestatem, sed etiam supremam, et, ut ita dicam, per essentiam, quia Deo naturaliter competit supremum dominium rerum omnium, et cum omni jure, tam nominandi quam gubernandi et regendi, et homo etiam naturaliter est Deo subjectus. In hac ergo subjectione ex parte hominis, et potestate suprema ex parte Dei, fundamentum habent leges divinæ: juxta illud Isaïæ, 33: *Dominus judeæ noster, Dominus legis noster, Dominus rex noster*, utique summus et independens ab omni alio, qui auctoritate propria, et non ab alio accepta leges ferre potest, et cogere ad earum observationem, et punire transgressores. Quomodo dixit Jacobus, c. 4: *Unus est legislator et judeæ, qui potest perdere et liberare*: leges ergo divinæ necessario dicunt respectum ad publicam et supremam potestatem. Quocirca lex naturalis, aut propria lex non est, aut si vera lex est, a publica etiam procedit gubernandi potestate, quia si lex divina est, ergo est ab ejus potestate qui naturam gubernat eique dominatur. Quomodo autem lex naturæ Deum habeat auctorem, lib. seq. declarabitur.

3. *Præceptum requirit in imponente aliquam potestatem.*— *Differentia inter actus petendi, promittendi et imperandi.*— Ut autem in legibus humanis hanc veritatem declarem et ostendamus, supponimus primo, præceptum, ut tale est, necessario postulare aliquam superiorem potestatem in præcipiente respectu ejus cui præcipit. Nota enim est differentia inter hos tres actus, petere, seu orare: promittere, seu vovere: imperare, seu præceptum imponere: quod primum est indigentis, et ideo, ut sic, est inferioris ad superiorem: ultimus est superioris ad inferiorem: secundus vero potest esse ad omnes, ut indicavit D. Thomas, 2. 2, q. 88, art. 1, et, tr. 4 et 6. de Relig. in princ., explicuimus: ratio vero est, quia per actum orationis nec se obligat homo, nec obligat alium, sed solum vult aliquid ab alio obtinere, in quo inferiorem se illi exhibet. Per promissionem autem obligat homo seipsum, quam potestatem unusquisque in se habet, et potest illam exercere respectu æqualis, vel inferioris, aut superioris, quia nunquam exercet jus in alium, sed in se, nec cogit alium ad acceptandum si nolit. Per præceptum autem

obligat præcipiens alium cui præcipit, et ideo necesse est ut in illum habeat jus et superiorem potestatem: non enim potest esse actio sine principio proportionato a quo manet; hoc autem principium in præsentem est potestas illa per quam unus alteri superior constituitur. Item non omnis homo potest alteri præcipere, nec æqualis (ut sic dicam) potest æqualem obligare, ut est per se notum, quia non est ulla ratio cur unus magis teneatur parere alteri, quam e converso, essetque bellum justum ex utraque parte: est ergo necessario specialis potestas superior ad præcipiendum valide et efficaciter: unde cum lex sit essentialiter præceptum, etiam hoc erit de legis essentia ac necessitate, etiam in humanis legibus.

4. *Divisio potestatis præceptivæ in dominativam, et jurisdictionis.*— Secundo vero addendum est quod, sicut præceptum et lex non convertuntur, quia non omne præceptum est lex, licet omnis lex sit præceptum, ita potestas præceptiva et legislativa non convertuntur. Potestas ergo præceptiva quasi generica est, quæ in duas species distinguenda est, quas potestatem œconomicam et politicam, vel potestatem dominativam et jurisdictionis appellare possumus, sicut eas nominavimus et distinximus in ordine ad votorum irrationem et dispensationem, lib. 6 de Voto, cap. 1, et solent etiam distingui ab auctoribus distinguuntur dominium in dominium jurisdictionis et proprietatis, ut late declarat Molina, tract. 2 de Justit., disput. 3, cum Covarro, in regula *Peccatum*, 2 part., § 9, n. 8, et attigit Seneca, lib. 7 de Benefic., cap. 4, dicens: *Ad reges potestas omnium pertinet, ad singulos proprietas*. Possunt autem distingui hæc potestates circa personas, et aliquo modo circa res alias, circa quas proprius invenitur potestas domini quam jurisdictionis; tamen suo modo etiam hæc circa illas versatur, vel securdario, et per consecutionem, vel per modum administrationis: hoc vero nunc ad præsens non spectat: nam ad leges vel præcepta per se requiritur potestas in personam, ut ex ratione præcepti declaratum est.

5. *Varie differentie inter potestatem dominativam, et jurisdictionis.*— Inter illas autem potestates, ut in personis versantur, cum multæ aliæ differentie assignari possint, tres sunt quæ ad præsentem causam faciunt. Una est quod potestas dominativa regulariter est circa privatas personas, seu inter partes imperfectæ communitatis, et interdum est ex jure naturæ per naturalem originem tantum, et ex vi il-